

adiutor, non digito nos attingent et si attigerint, non nocere possunt homines. Omnia cedent in bonum. Vale in Christo. Datae *Augustae* sabbato post Octavam Corporis Christi anno 1530.

Tuus ex animo

*I. Ionas doctor.*

Abschrift Aurifabers in Wolfenb. Acta Comitiorum Cod. 42; daraus bei Kolde, *Analecta* S. 138—141.

b. Zweites Schreiben. Ueber das Verbot der Predigten. Die Reichstags-sitzung vom 24. Juni. Die Vorlesung der Confession soll heute stattfinden. Der Einfluss der anwesenden Prälaten auf den Kaiser. Stimmung der Evangelischen.

Graciam et pacem Dei in Christo. Suspendit hic Caesar et prohibuit utrinque<sup>1</sup> conciones, ubi paene biduo deliberatum est,<sup>2</sup> non contra faciendum esse sed ferendum et parendum esse Caesari mandanti, uti hic in urbe imperiali praesertim, cum non solum nobis, sed et papistis et sacramentariis, qui hic regnarunt, interdictum sit concionibus pacis causa, donec fiat cognitio. Interim dominicis diebus praelegitur nudus textus evangeliorum et Pauli. De hac re scripsit tibi dominus *Philippus* et ego quoque in meis literis hoc significavi.<sup>3</sup>

Heri *Caesar* cum electoribus et statibus imperii convenit in praetorio et audivit perorantem cardinalem *Campegium*, qui non admodum longam orationem habuit. Hortatus est ad concordiam Germanos et ad bellum gerendum contra Turcas. Nihil acerbe, nihil odiose dixit contra *Lutheranos*. Sub idem tempus mox audita est legatio Austriacorum<sup>4</sup> vel statuum illius regni, qui miserabiles querelas proposuerunt de minis et terroribus Turcicis, cum in quinto iam discrimine vitae, bonorum etc. cum uxoribus, liberis singulis versentur momentis. Recitata instructio est assidente rege *Ferdinando*. Erat hic dies etiam praefixus nostris principibus, ut offerrent articulos suae confessionis, quibus subscripserunt noster elector, iunior princeps, deinde marchio *Georgius*, dominus *Ernestus* dux *Lunebergensis*, princeps *Hassiae*, dominus et princeps ab *Anhalt*, senatus *Nurmburgensis*, senatus *Reutlingensis* etc. Landgravius plane hoc dimicavit et ursit, ut coram statibus imperii et Caesare articuli praelegerentur et voce recitarentur. Econtra rex *Ferdinandus* in ipso consessuprehendit nunc hoc nunc illud<sup>5</sup> insusurrans in aurem et

<sup>1</sup> Schirm. utriusque.

<sup>2</sup> Vrgl. Corp. Ref. II, 110f. Förstemann, Urkundenbuch I, 274. 283. Schirmmacher Seite 59.

<sup>3</sup> Corp. Ref. II, 118. Brief des Jonas vom 18. Juni, oben Nr. 179, S. 159.

<sup>4</sup> Schirm.: Bohemorum. Zur Sache vgl. Corp. Ref. II, 127. 128.

<sup>5</sup> Schirm.: praehendit hoc nunc illos.